

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii  
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum  
Theoretico-Practica**

**Mencke, Lüder**

**Lipsiae, MDCCXXXV**

**VD18 11839880**

Tit. XIV. De Haeredibus Instituendis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18253**

- (9) *Incluso pro Patre Fidem si non det.* §. 8. (10) *Eundem A truce nec variis liberet Hoste modis.* §. 13.
- (11) *Si vetet Auctorem testari Sanguinis.* §. 9. (12) *Adfit Si levibus Mimis quos vel Arena juvat.* §. 10.
- (13) *A sanctis veterum si degeneraverit Aris.* §. 14.  
 (14) *Filia si Quæstum Corpore sponte facit.* §. 11.
2. *Causæ Exhæredat. Parentum* 8. ex d. N. c. 4.  
 (1) *Si Capitis natum Pater accusaverit.* N. 115. c. 4. §. 1.  
 (2) *Ejus.*  
*Aut Vitæ Insidias clamve palamve struat.* §. 2.
- (3) *Si vetuit cupidum Secreta novissima Mentis Prodere* §. 4. (4) *Nec veritus sit temerare Nurum.* §. 3.
- (5) *Si Pater & Genitrix sibi Fata scelesta minentur.* §. 5.  
 (6) *Fulera nec ad Nati clausa Furentis eant.* §. 6.
- (7) *Filius Auxilio si non Patris hostica linquit Limina.* §. 7. (8) *Si Genitor Numen inane colat.* §. 8.
3. *Causæ Exhæredat. Fratrum* 3. ex N. 22. c. 47.  
 (1) *Insidias Vitæ Fratris qui struxerit.* (2) *Ejus Crimen apud Populum detexerit Accusator.*  
 (3) *Si passa est Culpa Fratris Substantia Damnum.*

## TIT. XIV.

*De Hæredibus Instituendis.*

*Ex Cajo l. 31. ff. hoc tit.* **H**EREDES instituere permissum est tam *liberos* homines, quam *servos*: & tam proprios, quam alienos. Proprios autem olim quidem secundum plurium sententias non aliter quam cum libertate recte instituere licebat: hodie vero etiam sine libertate ex nostra \* *Constitutione* heredes eos instituere permissum est. Quod non per innovationem induximus, sed quoniam æquius erat, & Attilicino placuisse, Paulus suis libris, quos tam ad *Masurium Sabinum*, quam ad *Plautium* scripsit, refert. Proprius autem servus etiam is intelligitur, in quo nudam proprietatem testator habet, alio usumfructum

Etum habente. Est tamen casus, in quo nec cum libertate utiliter servus a domina heres instituitur, ut Constitutione Divorum Severi & Antonini cavetur, *Ex Marti- an. l. 48. ff. cod.* cujus verba hæc sunt: *Servum, adulterio maculatum, non jure testamento manumissum ante sententiam ab ea muliere videri, quæ rea fuerat ejusdem criminis postulata, rationis est. Quare sequitur, ut in eundem a domina collata heredis institutio nullius momenti habeatur.* Alienus servus etiam is intelligitur, in quo usumfructum testator habet.

*Si servus heres institutus in eadem causa manserit, vel non.*

1. Servus autem a domino suo heres institutus, si quidem in eadem causa manserit, fit ex testamento liber, heresque ei necessarius. Si vero a vivo testatore manumissus fuerit, suo arbitrio adire hereditatem potest: quia non fit heres necessarius, cum utrumque ex domini testamento non consequatur. Quod si alienatus fuerit, jussu novi domini adire hereditatem debet, & ea ratione per eum dominus fit heres. Nam ipse alienatus, neque liber, neque heres esse potest, etiamsi cum libertate heres institutus fuerit. Destitisse enim a libertatis datione videtur dominus, qui eum alienavit. Alienus quoque servus heres institutus, si in eadem causa duravit, jussu ejus domini adire hereditatem debet. Si vero alienatus fuerit ab eo, aut vivo testatore, aut post mortem ejus, antequam adeat, debet jussu novi domini adire. At si manumissus est vivo testatore, vel mortuo, antequam adeat; suo arbitrio adire potest hereditatem.

#### *De servo hereditario.*

2. Servus etiam alienus post domini mortem re- *Ex Paul. l. 52. ff. h. t.*cte heres instituitur: quia & cum hereditariis servis est testamenti factio. Nondum enim adita hereditas personæ vicem sustinet, non heredis futuri, sed defuncti:



defuncti: cum etiam ejus, qui in utero est, servus recte heres instituat.

*De servo plurium.*

3. Servus plurium, cum quibus testamenti factio est, ab extraneo institutus, heres unicuique dominorum, cujus jussu adierit, pro portione domini acquirit hereditatem.

*De numero heredum.*

4. Et unum hominem, & plures in infinitum, quot quis heredes velit facere, licet.

*De divisione hereditatis.*

*Ex Ulp. l. 50. S. ult. ff. hoc tit.* 5. Hereditas plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ assis appellatione continentur. Habent autem & hæ partes propria nomina ab uncia usque ad assem, utputa hæc: uncia, sextans, quadrans, triens, quincunx, femis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx. Non autem utique semper duodecim uncias esse oportet. Nam tot uncia assen efficiunt, quot testator voluerit: & si unum tantum quis ex femisse, verbi gratia, heredem scripserit, totus as in femisse erit. Neque enim *idem ex parte testatus, & ex parte intestatus, decedere potest*: nisi sit miles, cujus sola voluntas in testando spectatur. Et e contrario potest quis in quantascumque voluerit plurimas uncias suam hereditatem dividere.

*De portionibus singulorum heredum. Si testator assem non diviserit, aut partes in quorundam persona non ultra assem expresserit.*

6. Si plures instituantur heredes, ita demum in hoc casu partium distributio necessaria est, si nolit testator eos ex æquis partibus heredes esse. Satis enim constat, nullis partibus nominatis, ex æquis partibus heredes esse. Partibus autem in quorundam

dam personis expressis, si quis alius sine parte nominatus erit, si quidem aliqua pars assi deerit, ex ea parte heres fit. Et si plures sine parte scripti sunt, omnes in eandem partem concurrunt. Si vero totus as completus sit, ii, qui nominatim expressas partes habent, in dimidiam partem vocantur, & ille, vel illi omnes in alteram dimidiam. Nec interest primus, an medius, an novissimus, sine parte heres scriptus sit: ea enim pars data intelligitur, quæ vacat.

*Si pars vacet, aut exuperet.*

7. Videamus, si pars aliqua vacet, nec tamen quisquam sine parte sit heres institutus, quid juris sit: veluti si tres ex quartis partibus heredes scripti sint. Et constat, *vacantem partem singulis tacite pro hereditaria parte accedere*, & perinde haberi, ac si ex tertiis partibus heredes scripti essent. Et ex diverso, si plures heredes scripti in portionibus sint, tacite singulis decrescere: ut, si, verbi gratia, quatuor ex tertiis partibus heredes scripti sint, perinde habeantur, ac si unusquisque ex quarta parte scriptus fuisset.

*Si plures uncia quam 12. distributæ sunt.*

8. Et si plures uncia quam duodecim distributæ sint, is, qui sine parte institutus est, quod dupondio deest, habebit. Idemque erit, si dupondius expletus sit. Quæ omnes partes ad assem postea revocantur, quamvis sint plurium unciarum.

*De modis instituendi.*

9. Heres & pure & sub conditione institui potest: ex certo tempore, aut ad certum tempus non potest: veluti, *post quinquennium quam moriar*, vel, *ex Calendis illis*, vel, *usque ad Calendas illas*, heres esto. Denique diem adjectum haberi pro supervacuo, placet, & perinde esse, ac si pure hæres institutus esset.

De

*De conditione impossibili.**Ex Ulp. l.**1. de Cond.**instit. & l.**3. ff. d.**Cond. &**demonstr.*

10. Impossibilis conditio in institutionibus & legatis, nec non in fideicommissis, & libertatibus, pro non scripta habetur.

*De pluribus conditionibus.**Ex Paulo**l. 5. ff. de**Condit. in-**stit.*

11. Si plures conditiones in institutionibus adscriptæ sunt, siquidem conjunctim, utputa; *Si illud & illud factum fuerit*; omnibus parendum est. Si separatim, veluti: *Si illud aut illud factum fuerit*; cuilibet obtemperare satis est.

*De his, quos nunquam testator vidit.*

12. Hi, quos nunquam testator vidit, heredes institui possunt: veluti, si fratris filios peregrinantes, ignorans qui essent, heredes instituerit. Ignorantia enim testantis inutilem institutionem non facit.

## I.

**H**æredis Institutio est futuri Successoris in Testamento a Testatore facta *directis Verbis* Designatio. *a. §. 34. ff. d. leg. l. 27. §. 12. ad Scg. Treb. l. 62. ff. d. R. ff. ubi Verba communia*, quæ recipiunt Sensum Verborum imperativorum; s. *directorum, & precariorum, pro directis habentur in Dubio. a. c. 1. d. testam. in 6. Novell. 118. c. 3. ceu pron. F. J. L. M. Dec. 705. versus Lubecam, conf. P. 3. C. El. 9. §. Und ob wohl.* Est autem Hæredis Institutio, cum Hæres designatur ex Juris Necessitate, *N. 115. c. 3. 4. necessaria*; quando ex libero Arbitrio, *voluntaria. a. l. 62. ff. d. R. ff. §. 34. ff. d. legat.*

II. *Heredes institui possunt omnes, qui capere ex Testamento queunt, §. 4. ff. d. Hæred. qual.*  
sive

sive *liberi Homines*, P.R. *J. b.* sive *Servi*, iique si- Pr. I. h.  
 ve proprii, sive alieni. *Proprii* cum vel sine Li-  
 bertatis Datione expressa. *d. P.R. j. §. 2. J. qui*  
*& ex quib. caus.*

III. *Servi alieni* adeunt Hæreditatem, sive in  
 eadem Causa durent, §. I. *J. b.* sive alienati sint, §. 1. I. h.  
 antequam adirent, Jussu Domini. *d. §.*

IV. *Servi recte* instituuntur, etiamsi Domi-  
 nus sit mortuus, (aut in Utero. §. II. *J. b. (a) l. 7.*  
*ff. d. Stat. hom.*) §. II. *J. b. j. l. 61. ff. d. acquir. rer.* §. 2. I. h.  
*dom. Servi communes*, ab extraneo instituti Do-  
 minis, quorum Jussu adeunt, pro Portione Do-  
 minii acquirunt. §. III. *J. b.* Dicta hæctenus §. 3. I. h.  
 de *Servis raro hodie*, & non nisi in Mancipiis  
 Turcicis, applicari poterunt.

V. *Hæredes instituuntur vel plures, vel unus.*  
 Unus institutus in Parte hæreditaria, e g. Semis-  
 se, capit totam Hæreditatem Jure accrescendi;  
 §. V. *J. b.* nisi Testator sit Miles, *d. §. L. 7. ff. d.* §. 5. I. h.  
*R. J. (b) etiam hodie.* Partes autem hæreditariæ  
 constituuntur XII., ubi denotat Partem ex duo-  
 decim unam *Uncia*, Partes duas *Sextans*, trës  
*Quadrans*, quatuor *Triens*, quinque *Quincunx*,  
 sex *Semis*, septem *Septunx*, octo *Bes*, novem *Do-*  
*drans*, decem *Dextans*, undecim *Deunx*, duode-  
 cim *As.* §. V. *J. b.* Testatori vero in quantascun-  
 que *Uncias* Hæreditatem dividere licet. *d. §.*

(a) *Nondum adita Hæreditas vicem personæ defuncti*  
*sustinet.* §. II. *J. b.*

(b) *Idem ex Parte testatus & ex Parte intestatus dece-*  
*dere nequit, nisi sit miles.* §. V. *J. b. L. 7. ff. d. R. J.*

P

VI. Plu-

VI. *Plurium Hæredum Institutio fit Arbitrio*

- §. 4. I. h. Testatoris, §. IV. *f. b.* eaque suscipitur vel *uniformiter*, s. eadem Ratione; vel *difformiter*. i. e. §. 6. 7. 8. diversa Ratione. §. VI. VII. VIII. *eod. conf. Tr. I. h. Syn. Inst. b. t.*

VII. Ratione *Qualitatis* Heredis Institutio fit vel *pure*, vel *sub Conditione*. Pure institutus esse creditur etiam, qui *ex certo Tempore* Hæres scriptus est, *a. l. 7. ff. d. R. f.* & cum quis *ad certum Tempus* Hæres scriptus est, illius Tempo-

- §. 9. I. h. ris Lapsu Hæres esse non desinit. §. IX. *f. b. j. l. 88. ff. d. hæred. instit. (c)* Id quod nec *hodie* mutatum *a. l. 27. C. d. Testam.*

VIII. *Conditio*, sub qua fit Institutio, est *Qualitas Actui* adjecta, Vim ejus conferens in *Casum futurum*, *l. 39. ff. d. R. C. & incertum, l. 9 §. 1. ff. d. novat.* Dividitur in *impossibilem & possibilem*. *Impossibilis* adimpleri nequit, & est talis. vel *Natura* vel *Fure*, Adimplementum impediens.

- §. 10. I. h. *l. 14. l. 15. ff. d. cond. instit. §. X. f. b. (d)* *Possibilis* adimpleri potest, estque juxta *l. un §. 7. C. d. cad. toll.* vel *potestativa*, cujus Impletio a *Voluntate & Potestate* implere debentis dependet; *l. 28. ff. d. cond. inst. vel casualis*, cujus Impletio a fortuito *Eventu* dependet; vel *mixta*, eaque partim *potestativa*, partim *casualis* est.

IX. Hæredes *extranei* sub *quavis* *Conditione*

(c) *Qui semel Hæres extitit, Hæres esse non desinit* *L. 88. ff. d. hæred. inst.*

(d) *Impossibilis Conditio in ultimis Voluntatibus pro non adscripta habetur.* §. X. *f. b. l. 14. ff. d. cond. inst.*

possi-



possibili institui queunt: *a. l. un. §. 7. C. d. cad toll. Filiifamilias saltem sub Conditione potestativa. l. 4. ff. d. her. inst.* Impossibilis Conditio vero Institutioni addita pro non adscripta habetur, *§. X. J. b. L. 14. ff. d. cond. inst.* idemque obtinet, si Legato vel Fideicommissio adjecta sit, *d. §. etiam hodie.*

X. Hæredis Institutioni adjicitur Conditio vel una vel varia, & cum hæc expressa est conjunctim omnibus, disjunctim uni, satisfaciendum est. *§. XI. J. b. j. C. 70. d. R. §. 6. (e)*

§. II. I. h.

XI. Hæredes institui possunt etiam ii, quos Testator nunquam vidit. *§. XII. J. b.*

§. 12. I. h.

## TIT. XV.

### De Vulgari Substitutione.

#### De pluribus gradibus heredum.

POTEST autem quis in testamento suo plures *Ex Marcian. l. 36. pr. ff. de Vulg. & Pupill. Substit.* gradus heredum facere, ut puta: *Si ille heres non erit, ille heres esto.* Et deinceps, in quantum velit testator, substituere potest: & novissimo loco in subsidium vel servum necessarium heredem instituire.

#### De numero heredum singulis gradibus.

1. Et plures in unius locum possunt substitui, vel unus in plurium, vel singuli in singulorum, vel invicem ipsi, qui heredes instituti sunt. *Ex d. l. 36. §. 1. ff. h. t.*

*Quam partem singuli substituti accipiant, si partes in substitutione expressæ non sint.*

2. Et si ex disparibus partibus heredes scriptos

(e) *In alternativis sufficit alterutrum adimpleri. C. 70. d. R. §. 6.*

P 2

invi-